

DE PRINCIPIIS CONTRADICTIONIS, RATIONIS SUFFICIENTIS, CAUSALITATIS

EORUMQUE INTER SE CONEXIONE

Inter triplicem operationem intellectus humani, sc. apprehensionem simplicem, iudicium, ratiocinium, simplex apprehensio vel conceptus est prima. Mens humana ope conceptuum essentias rerum cognoscit; intelligit enim, quid sit aliquod ens, i. e. quatenus notae metaphysice necesario sint de essentia entis respectivi. Tali modo intelligit, quid sit ens, quid unitas, negatio, pluralitas, relatio, motus, mutatio e. i. p.; horum conceptuum et aliorum similium intellectum manifestat in omni iudicio, quod ponit. Mens humana ex comparatione duorum conceptuum format iudicia de obiectis. Ex tribus iudiciis secundum certas leges ordinatis oritur ratiocinium, quod est ea operatio mentis, per quam comparatis duabus ideis cum eadem tertia earum inter se identitatem vel diversitatem cognoscit (1).

Vox "principii" vario sensu adhibetur. Secundum Aristotelem principium est illud, per quod aliquid est vel fit vel cognoscitur (5 Metaph. c. 1 (1013 a 17-19)). Hac explicatione principia simul in principia τὸ εἶναι, τὸ γίνεσθαι et cognitionis dividuntur. In ordine cognitionis e. g. praemissae syllogismi sunt principium (ratio), cur sequatur consequens. In ordine τὸ εἶναι et τὸ γίνεσθαι principia interna et externa distinguuntur.

Hoc articulo nonnisi de supremis principiis ordinis ontologici et logici agitur, quae principia primarie sunt ordinis ontologici, secundarie, cum actus nostri cognosciviti ab obiectis eorumque legibus determinantur, ordinis logici. Ut principia ordinis logici sunt ea iudicia prima seu propositiones per se notae, quibus mens humana eas habi-

(1) Has propositiones veras esse itemque cognitionem humanam ab obiectis suis determinari ab Aristotele et magnis philosophis scholasticis Aristotelem hac in re sequentibus saepe ostensum est. Plura de his quaestionibus fundamentalibus nostra aetate a multis non iam intellectis scripsi in folio periodico theologico-philosophico "Scholastik" 2 (Friburgi Brisgoviae 1927) 541-561. Veritas harum propositionum in hoc articulo supponitur.

tudines easque relationes ex essentiis rerum fluentes cognoscit, quae simul cum notis essentialibus rerum manifestantur. Inter has propositiones imprimis principia contradictionis, rationis sufficientis, causalitatis enumerari solent. Alia, ut principium identitatis et exclusi medii intra tria enumerata determinatum locum habent. Quid his tribus principiis praecise enuntietur, quo iure statuuntur, quo modo inter se cohaereant, explicare et ostendere huius est articuli.

I. De principio contradictionis.

1. *De facto et certitudine cognitionis principii contradictionis.*—

Si reflexione mentis determinatum factum conscientiae immediate praesens, e. g. actum doloris praesentem consideramus, non tantum hunc actum praesentem esse cognoscimus, sed insuper hunc actum doloris, quamvis non interna necessitate, sed contingenter tantum exsistat, tamen quando existit et eo sensu, quo existit, non posse simul non exsistere intelligimus. Huius facti eiusque necessitatis strictam evidentiam cognoscimus. Et quia hic actus, quando existit, simul non potest non exsistere, propterea cognitio mea, quam de hoc actu habeo, absolute certa est et valoris necesarii et universalis. Si actus eo sensu, quo existit, etiam non exsistere posset, certitudo absoluta et valor absolutus cognitionis nostrae de rebus contingentibus non iam essent possibiles.

Hanc necessitatem non solum in hoc determinato actu, sed in omni ente haberi intelligitur. Si quid quocumque modo est ens, si quomodolibet est obiectum cognitionis, sive sit ens existens sive possibile, sive ens absolutum sive relativum, undecumque suam essentiam vel existentiam habeat, de omni eius modo existendi valet: ea ratione, qua est, non potest non esse. Hoc est principium contradictionis ontologicum. Itaque non solum haec propositio valet: hoc factum internum immediate praesens non potest, quando existit, non exsistere, sed etiam propositio universalis valet: quidquid est, non potest simul non esse. Ens non potest esse non ens. Stricta evidentia etiam in hac propositione universali habetur.

Hoc principium absolute universale esse iure merito asseritur. Quamvis enim cognitionem huius necessitatis in perceptione alicuius facti concreti immediate praesentis acquiramus, tamen hanc necessitatem

de essentia entis esse intelligimus. Quare principium contradictionis de omni ente vi conceptus entis valet.

Iudicium enuntians principium contradictionis nititur in cognitione quidditativa, sc. in intellectu entis, cuius intellectus ex aliis derivari nequit.

2. *Quomodo principium contradictionis enuntietur.*—Vario modo hoc principium enuntiatur, non solum ab iis philosophis, qui in quaestionibus fundamentalibus dissentiunt, sed etiam ab iis qui quoad capita essentialia philosophiae concordant.

In formula logice primaria enuntiatur, positive: ens necessario est ens (1); negative: ens, in quantum est ens, non potest esse non ens; vel: id quod est, in quantum est, non potest non esse; "impossibile est esse et non esse simul" (S. Thomas, In 4 Metaph. lect. 6). Ens vi naturae suae, vi conceptus sui non potest esse nihilum, et absolute necessario, contradictorie opponitur nihilo, eo quod nihilum nihil aliud est nisi negatio entis, et quidem nihilum absolutum negatio omnis entis, nihilum relativum negatio entis determinati. "Hoc principium: impossibile est esse et non esse simul, dependet ex intellectu entis" (S. Thomas l. c.). Primum, quod mens intelligit, si apprehenditur ens, est eius necessaria oppositio ad nihilum. Intellectualis cognitio, ut dicit S. Thomas, "se habet ad opposita". Eo ipso enim quod intelligitur ens, etiam impossibilitas negationis entis intelligitur. Prima autem et essentialis nota entis est, quod necessario sit ens neque possit esse non ens.

Formula negativa: impossibile est esse et non esse simul (vel alia differens tantummodo quoad voces, non vero quoad sensum) est inter negativas logice primaria. Ex ea aliae consequuntur, e. g. idem non potest simul esse et non esse. Nam quia aliquid, in quantum est, non potest non esse, propterea sermo esse potest de "eodem", de "una eademque relatione", de conceptu "simul". "Hoc principium", uti S. Thomam dicentem modo audivimus, "dependet ex intellectu entis" non ex intellectu "eiusdem". Etiam conceptus "eiusdem" con-

(1) Hanc formam positivam, non vero negativam esse logice primariam, eo elucet, quod necessitas illa, de qua principium contradictionis agitur, est aliquid positivum, sc. positiva essentia entis. Nihilum nullo modo est. Quia vero intellectus noster, cum modo imperfecto operetur, ea quae sunt positiva, etiam per impossibilitatem negationis eorum cogitat, ex hac ratione psychologica formam negativam facilius comprehendimus et demum rationem positivi et negativi eorumque habitudinem philosophice considerantes conceptum positivi relate ad conceptum negativi esse logice priorem intelligimus.

ceptum entis iam supponit.—Formula Aristotelis: “Idem (enim) simul esse et non esse in eodem secundum idem est impossibile” (1) etiam propterea tantummodo valet, quia ens, in quantum est ens, non potest esse non ens (2). Quae formula respicit omnes oppositiones contradictorias (3).

Eodem modo e principio contradictionis *sequuntur* propositiones: “Nihil idem est simul in actu et in potentia respectu eiusdem” (S. Thomas, C. gent. I, 1 c. 13), et: “Nihil est respectu eiusdem movens actu et motum” (I. c.).

3. *Quid praecise ope principii contradictionis enuntietur.*

a) Quodnam est obiectum formale intellectus nostri principium contradictionis enuntiantis? Sensus nostri facta percipiunt et in obiecto praesenti nihil aliud nisi rem quae mere de facto habet suas proprietates suasque relationes. Intellectus vero non solum obiectum praesens percipit, sed intelligit (intus-legit), quid sit ens praesens; aliis verbis: intelligit, quatenam sint notae obiecti essentialis, sine quibus obiectum praesens nullo modo esse possit et quae metaphysice necessario requirantur ad hoc, ut sit id, quod est. Nota vero prima, quae in omni cognitione quidditativa apprehenditur, ea est, ut aliquid sub eo respectu, sub quo est, vere sit proindeque sub eo respectu, sub quo est, absolute (metaphysice) necessario non possit non esse. Si ergo aliquid existit, non potest non existere; si hanc habet essentiam, eam non potest simul non habere. Haec necessitas essentialis, quod sc. ens in ea ratione, sub qua existit vel possibile est, non possit non existere vel non esse possibile, omnis alterius necessitatis essentialis fundamentum est et praerequiritur ad hoc, ut omnis alia necessitas essentialis esse possit. De entis essentia, de entis intima natura et conceptu est, ut ea ratione, sub qua est, non possit simul non esse. Ens non tantum non est non ens, sed non potest esse non ens. Haec impossibilitas, haec absoluta inosciabilitas entis cum non ente ope principii contradictionis enuntiatur. Cum haec necessitas de essentia entis sit, principium contradictionis est principium ontologicum valoris absolute necessarii et universalis. Et ob hanc rationem, quia in ordine ontologico valorem ab-

(1) Τὸ γὰρ αὐτὸ ἅμα ὑπάρχειν τε καὶ μὴ ὑπάρχειν ἄδύνατον τῷ αὐτῷ καὶ κατὰ τὸ αὐτό (ARISTOTELES, 4 *Metaph.* c. 3, 1005 b 19 s.).

(2) Cf. Aristot. 3 *Metaph.* c. 2, 996 b 30: ἄδύνατον ἅμα εἶναι καὶ μὴ εἶναι.

(3) Cf. FRANZ MARIA SLADCEK, S. J., *Das Widerspruchsprinzip und der Satz vom hinreichenden Grunde*; in folio periodico theologico-philosophico “Scholastik” 2 (1927) 17.

solute universalem habet, propterea etiam in ordine cognitionis absolute universaliter valet; id est: quaevis mens cognoscens, quocunque modo in esse suo physico constituta sit, intelligit: quia ens non potest esse non ens, propterea ea tantum cognitio vera est, quae intelligit ens non posse esse non ens.

b) Etiam ens contingenter existens hac necessitate essentiali praeditum est. Nam etiam ens contingens est ens; est absolute impossibile, quod in se sit nihilum. Si haec absoluta impossibilitas non esset, entia singularia contingentia absolute certo cognosci non possent. Ob hanc rationem autem, quia haec absoluta impossibilitas habetur, propterea facta contingentia metaphysica certitudine et cognosci possunt et de facto cognoscuntur; propterea ex consequenti etiam de factis contingentibus scientia absolute certa possibilis est. Actus conscius e. g. immediate praesens, quamvis vi essentiae suae non existat, tamen, quando existit, in se non potest non existere. Neque per omnipotentiam Dei potest fieri, ut actus ille et quaecumque res contingens, quando sunt, non sint. Secundum distinctionem Scholasticorum non quidem "simultanea impossibilitas", sed "impossibilitas simultaneitatis" (1) habetur, quod res contingentes, quando sunt, non sint. Verumtamen etiam "impossibilitas simultaneitatis" vera est impossibilitas, quamvis non sit interna (simultanea) impossibilitas. Ad solvendam quaestionem, quatenus sit genuina ratio principiorum contradictionis et rationis sufficientis et quomodo cohaereant, utramque impossibilitatem considerare maximi et decisivi momenti est, quod infra patebit.

Vera quidem et haec consideratio est: si ens contingenter existens in se etiam non existere posset, nulla certa eius cognitio (et ex consequenti nulla scientia neque subiectiva neque obiectiva) esset possibilis. Sed hac indirecta consideratione non indigemus, ut omne ens contingens in se non posse non esse intelligamus, sed omne ens contingens, quando est, non posse non esse immediate intelligimus. Quodlibet ens non solum non est non ens, sed non potest esse non ens. Etiam haec necessitas essentialis entium contingentium est aliquid positivum. Propterea etiam de rebus contingentibus certitudinem metaphysicam absolute et non solum hypothetice habere possumus.

4. *Principium contradictionis est analyticum.*—Principium analy-

(1) Cf. CAROLUS FRICK S. J., *Logica* 6. editio, Friburgi Brisgoviae 1925,

ticum illud est, quod ex sola comparatione idearum cognoscitur. In inquisitione nostra conceptus entis abstracti consideratur, qui secundum comprehensionem suam est minimus, secundum vero extensionem suam maximus. Conceptus entis in se quidem notas ulterius determinantes non habet, sed absoluta necessitate opponitur nihilo. Haec intellectio est simplicissima et maxime originaria quae est possibilis; in omni vero analysi alicuius conceptus complicatio semper praesupponitur et implicite in ea perficitur. Si haec impossibilitas principio contradictionis enuntiata non esset, nulla alia et magis determinata impossibilitas esse posset.

5. *Principium contradictionis est primum principium.*—Quod per conceptum entis exprimitur, in omnibus determinationibus entis inest. Κατὰ πάντων γὰρ τό ὄν κατηγορεῖται. (Aristoteles, 10 Metaph. c. 2, 1060 b 4.) “Ens est id, quod primo cadit in conceptione mentis, ut dicit Avicenna” (S. Thomas, De verit. q. 21 a 1). De principio autem contradictionis (1) valet illud S. Thomae, quod iam antea commemoravimus: “Hoc principium: impossibile est esse et non esse simul, dependet ex intellectu entis” (In 4 Metaph. lect. 6). “Quia in quantum in hanc reducunt demonstrantes omnia, sicut in ultimum resolvendo, patet, quod non habetur ex praesuppositione” (S. Thomas l. c.).

b) Oppositio contradictoria formalis est inter ens eiusque negationem. “In contradictione absoluta ens et non ens accipiuntur universaliter... Ex dictis ergo manifestum est, quod contradictio, secundum quod contradictio est, nihil negat in genere, sed simpliciter extra genus” (S. Thomas, De 4 oppositis, c. 2). “Non esse, quod est alterum extremum contradictionis, 1) opponitur ipsi esse absolute primo et per se; 2) ei autem, ad quod sequitur ipsum esse simpliciter, sicut formae substantiali vel etiam materiae, ex consequenti solum opponitur, quia materia est aliquid quod requiritur ad hoc, quod totum ens habeatur” (S. Thomas l. c. c. 1). Secundum haec duplex habetur oppositio contradictoria: 1) Non esse opponitur ipsi esse primo et per se. 2) Non esse ei, ad quod sequitur ipsum esse (i. e. actus) ex consequenti solum, sc. propter oppositionem suam ad esse opponitur. Ita e. g. non esse partibus constitutivis corporis, materiae et formae substantiali, solum propter oppositionem suam ad esse (i. e.

(1) Principium identitatis enuntiatur aut: “ens est ens”, et tunc est mera tautologia, cui valor scientificus non competit; aut: “ens necessario est ens”; et hoc modo enuntiatum idem est ac principium contradictionis, sc. eius forma positiva et originaria.

ad actum) opponitur. Aliis verbis: 1) Non esse illi esse, cuius essentia est esse, primo et per se contradictorie opponitur. 2) Non esse illis rebus, quorum esse (actus) non est de eorum essentia, i. e. rebus contingentibus, solum propter oppositionem suam ad esse (actum) contradictorie opponitur.

Quia inter ens eiusque negationem absoluta impossibilitas habetur, propterea reliquae oppositiones habentur, primo oppositio contradictoria participata in contrariis (1); secundo oppositio privativa, tertio contraria, quarto relativa, quarum ordo eo determinatur, quod de ratione oppositionis minus participant (2).

c) Omnibus hisce oppositionibus ordinis ontologici in ordine logico propositiones respectivae correspondent; sic: "Affirmatio et negatio non sunt simul verae" (S. Thomas, De verit. q 10 a 12); "non est simul affirmare et negare" (3); porro propositio logicae: "propositiones contradictoriae nec simul verae nec simul falsae esse possunt"; "verum vero contradicere nequit": i. e. si altera cognitio est vera, altera contradictorie opposita necessario est falsa. Breviter huc omnes illae propositiones spectant, quibus varias oppositiones ordinis ontologici earumque gradus enuntiamus, qui per relationem ad oppositionem contradictoriam determinati sunt.

d) Specialiter valet *principium exclusi tertii sive medii*: Necesse est quodlibet esse vel non esse; vel: Inter ens et non ens non datur medium. Nam si aliquid quomodocumque est, est ens. Ob hanc ratio-

(1) "Et ideo cum dicitur: Socrates est albus, et: Socrates non est albus, non est contradictio absoluta, sed contradictio participata in contrariis, in albo sc. et nigro. Et ideo in omnibus talibus propositionibus utrumque extremum est in genere. In contradictoriis vero absolute neutrum extremum est in genere, huiusmodi enim sunt esse et non esse. Manifestum enim est, quod ens non est in genere, nec suum oppositum" (S. THOMAS, I. c. c. 2).

(2) "Oppositio contradictionis prima est et maior inter alias, cuius rationem assignat Philosophus in lib. Post. dicens, quod contradictio est oppositio, cuius secundum se non est medium; medium enim ostendit distantium convenientiam, et ideo minuit rationem oppositionis. Cum igitur in omnibus aliis oppositionibus sit invenire medium, ideo omnes diminuunt de ratione oppositionis contradictoriae. Aliae enim oppositiones medium habent, quaedam tamen plus, quaedam minus; et secundum hoc magis et minus participant de ratione oppositionis contradictoriae, et consequenter magis et minus opponuntur" (I. c.)

(3) S. THOMAS, S. THEOL., I 2 q 94 a. 2: "In his autem, quae in apprehensione hominum cadunt, quidam ordo invenitur. Nam illud quod primo cadit, sub apprehensione, est ens, cuius intellectus includitur in omnibus, quaecumque quis apprehendit. Et ideo primum principium indemonstrabile est, quod non est simul affirmare et negare, quod fundatur supra rationem entis et non entis; et super hoc principio omnia alia fundantur, ut dicit Philosophus".

nem S. Thomas dicit: "Non esse autem simpliciter in infinitum ab esse distat, quod ex hoc patet, quia a quolibet ente determinato plus distat non esse quam quolibet ens, quantumcumque ab alio ente distans invenitur" (De potentia, q 3 a 4; cf. De verit. q 27 a 3 ad 9).

Quia inter ens et non ens medium esse nequit, propterea duarum propositionum contradictoriarum altera necessario debet esse vera et altera falsa (1); propterea disiunctio haec: aliquid est aut non est, completa est (2) et ut legitima propositio maior syllogismi adhiberi potest.

II. De principio rationis sufficientis.

1. *Quomodo hoc principium ex principio contradictionis cognoscatur.*

a) *Primus modus:* Quae de principio contradictionis exposita sunt, si respiciuntur ea, ex quibus intellectus principii rationis sufficientis acquiritur, hisce propositionibus enuntiari possunt: 1) Ens est ens (et non est nihil). 2) Ens necessario est ens (et non potest esse non ens). Ergo ens, quando existit, necessario existit (et non potest non existere). 3) Ens contingens necessario est ens contingens (et non potest esse non ens contingens). Ergo ens contingens quando existit, necessario existit (et non potest non existere). Ex his tribus propositionibus immediate sequentes inferuntur: 1) Aliquid esse debet, per quod (vi cuius) (3) ens est ens (et non nihil). 2) Aliquid esse debet, per quod (vi cuius) ens necessario est ens (et non potest esse non ens); per quod ergo, quando existit, necessario existit (et non potest non existere). 3) Aliquid esse debet, per quod (vi cuius) ens contingens necessario est ens contingens (et non potest esse non ens contingens); per quod ergo, quando existit, necessario existit. Tertia propositio eodem modo ac prima et secunda evidens est. Potest iterum hoc modo intelligi: si nihil esset, per quod (vi cuius) necessario

(1) Cf. S. THOMAS, *In 4 Metaph.* lect. 16.

(2) Secundum Hegel, qui tanquam sententiam fundamentalem totius philosophiae suae ens esse nihilum et nihilum esse ens declarat (HEGEL, *Wissenschaft der Logik* 1 editio Lasson. Leipzig 1923, p. 66 s.; *Encyklopädie der philosophischen Wissenschaften philosophischen Wissenschaften*, 3 ed. Lasson. Leipzig 1923, § 86 s.) haec disiunctio non valet.

(3) Illud "per" necessario ex omni essentia oritur: per essentiam suam (vi essentiae suae) omnis res necessario habet suas partes constitutivas essentielles et per essentiam suam necessario praebet fundamentum relationum, si relationes ad alia entia in ea possibiles sunt. (In Deo relationes ad creaturas non sunt possibiles).

est ens contingens et per quod, quando existit, necessario existit, tunc necessitas essentialis entis contingentis, quod sc. necessario sit ens contingens, ipsa non esset; proinde entium contingentium nulla certitudo absoluta possibilis esset.

Ens vero contingenter existens per se ipsum ad existendum non est determinatum. Nam ex se, ex essentia sua, etiam quando existit, non existere posset; est in eo possibilitas interna ad non existendum, etiam quando existit. In omni ente contingente inter essentiam et existentiam (ad minimum) est distinctio rationis cum fundamento perfecto, seu existentia non est de essentia entis contingentis. Ergo in ente contingenter existente determinatio ad existendum per ens contingens ipsum (per essentiam entis contingentis) non habetur. Ens contingenter existens, quando existit, solummodo in se necessario existit, non vero vi essentiae suae. Hinc distinctio in necessitatem, quam ens contingens in se quidem, non autem vi essentiae suae habet, originem suam ducit.

Ex altera parte ens contingenter existens, quando existit, necessario existit (et non potest non existere). Ergo ens contingenter existens ab alio ente ad existendum determinatum est. Hoc vero aliud ens aut per se determinatum est ad hoc, ut sit ens, aut non. Si non, redit quaestio, et quidem tamdiu, donec perveniatur ad ens, quod non solum in se existit, sed etiam vi essentiae suae determinatum est ad hoc, ut existat. Quicumque in theologia naturali Scholasticorum versatus est, argumenta, quae Dei existentiam et omnimodam infinitatem probant, hinc procedere facile intelligit. Quaestionem nostram versus theodiceam ad finem perducere non est huius loci, ubi quaestio fundamentalis criteriologica agitur. Hic nobis sufficiat intelligere omne ens contingenter existens non per se ad existendum esse determinatum, sed ab alio ente (ultimatim ab ente, quod vi essentiae suae non potest non existere neque aliter esse ac est) (1).

(1) Ulteriori inquisitioni relinqui sequentes quaestiones patet: 1) Quid sit illud ens, quod vi essentiae suae non potest non esse 2) Quenam sit relatio entium contingentium ad ens absolute necessarium, per quam ens contingenter existens, quando existit, non potest non existere. 3) Si in omni iudicio metaphysice certo, etiam quando obiectum est ens contingens, non solum obiectum cognoscitur, sed etiam quod tale obiectum non possit non esse, quid est praecise illud, quod in illa cognitione implicite cognoscitur. Qui theologiam naturalem Scholasticorum cognovit, facile videt, quanam partes theodiceae de his quaestionibus agant. Hinc considerationes Ontologistarum, qui dicuntur, intelliget, in quorum doctrina falsa a veris distinguet. Quae omnes inquisitiones fines huius articuli excedunt.

b) *Alio modo principium involvitur* (breviter).

Ens contingens, quando existit, *necessario* existit (et non potest non existere). Atqui ens contingens ex essentia sua indifferens est ad existendum, etiam quando existit. Ergo in ipso ente contingente non est illud, per quod, quando existit, non potest non existere.

c) *Aliter*: Ens contingens, quando existit, ex se ipso (ex essentia sua) est indifferens ad hoc, ut existat. Si vero ens contingens ex se ipso (ex essentia sua) existeret, dicendum esset: ens contingens, quando existit, ex se (ex essentia sua) non est indifferens ad hoc, ut existat. Ergo conceptus entis contingentis, quod ex se ipso (ex essentia sua) existeret, est contradictio. Ergo ens contingens non ex se ipso existere potest. Ex altera parte ens contingens existit. Ergo *necessario* existit aliud ens, quod ens contingens ad existendum determinat, et quidem tum ut existere incipiat, tum ut existere pergat.

d) *Alia forma* (quae usitatas formas magis sequitur (1), sed genuinam rationem principiorum contradictionis et rationis sufficientis magis evoluit). Cum aliquid existere incipit, debet esse aliquid, per quod existere *necessario incipiat* (et per quod non possit non *incipere* existere). Atqui illud, per quod ens existere incipiens, quando incipit, non potest non *incipere* existere, in ipso incipiente non potest esse nisi aut eius essentia aut eius possibilitas.

Atqui a) non eius essentia; haec enim ex se est indifferens ad incipiendum et non incipiendum; per illam ergo ens ad incipiendum non est determinatum.

b) *Non possibilitas*; nam si ipsa possibilitas esset illud, per quod ens, quando incipit, *necessario* sit incipiens (et non possit esse non incipiens), tunc omnia possibilia deberent existere, quod falsum et absurdum est; porro tunc ens etiam prius potuisset existere. Ergo in ipso incipiente nihil est, per quod ens, quando incipit, *necessario* sit incipiens. (Hinc ulterior evolutio sponte fluit; cf. Frick l. c.)

Nota: Sunt, qui evidentiam principii rationis sufficientis hoc modo ostendere conentur: ens opponitur nihilo. "Ens autem habere rationem sufficientem sui esse nihil aliud dicit quam ens habere aliquid per quod vere nihilo opponatur et a nihilo distinguatur" (Frick l. c. n. 334). Hisce verbis *necessitas*, qua ens non enti opponitur, non exprimitur. Si haec necessitas oppositionis non respicitur, princi-

(1) Cf. e. g. FRICK, *Ontologia*³, Friburgi Brisgoviae 1921, n. 336.

pium rationis sufficientis ex principio contradictionis evolvi nequit. Nam tunc nihil aliud sequitur nisi: ens non est nihilum; ens sua entitate non est nihilum; ens contingens (incipiens) sua contingente (incipiente) entitate non est nihilum. Si igitur necessitas essentialis entis, quod sc. sit ens (et non possit esse non ens) non animadvertitur, genuina ratio principii contradictionis non intelligitur et ex consequenti principia rationis sufficientis et causalitatis ex illo derivari nequeunt. Omnes illi, qui a philosophia aristotelico-scholastica dissentientes connexionem originariam horum trium principiorum negant — quorum numerus temporibus praeteritis et nostra aetate permagnus est —, principium contradictionis respiciunt tantum sub forma: ens non est non ens. Sub hac forma utique nihil aliud est nisi negativa expressio alicuius tautologiae, cui non competit valor scientificus neque ullo modo praerogativa illa excellens, quam maximi philosophi principio contradictionis adscribunt (1).

2. *De conceptu "rationis".*—Ratio est illud, per quod aliquid sub certo respectu determinatum est, ut sit neque non esse possit, vel tale sit neque aliter esse possit (2). Ratio e. g., quod summa angulorum trianguli spatii terdimensionalis necessario adaequet duos rectos, est essentia trianguli; ratio, cur theorema Pythagoraicum necessario valeat, est essentia trianguli rectangularis. Nam de essentia trianguli est, quod summa angulorum adaequet duos rectos; de essentia trianguli vero non est, ut sit rectangulare; de essentia entis non est, ut sit triangulum e. i. p. Ratio sufficiens ergo nihil aliud est quam illud, per quod aliquid sub certo respectu determinatum est, ut sit ens et per quod proinde non enti contradictorie opponitur. Et haec est ratio in ordine ontologico. Ratio cognitionis (vel ratio in ordine logico) illud est, per quod aliquod ens cognoscitur.

3. Quibus explicationibus datis *quid principio rationis sufficientis enuntietur*, facile apparet.

a) Omne ens habet rationem sui sufficientem. Nam omne ens habet illud, per quod determinatum est ad hoc, ut sit, et per quod,

(1) Bene de principiis contradictionis et rationis sufficientis disserit FRANZ MARIA SLADCEK, S. J., *Das Widerspruchsprinzip und der Satz vom hinreichenden Grunde*: in folio periodico theologico-philosophico "Scholastik" 2 (1927) 1-37.

(2) Hinc facile intelligitur, cur essentia (metaphysica) rei nominetur etiam ratio. Essentia enim est id, quo res est id, quod est et per quod non potest non esse vel non aliter esse. Ob eandem rationem sermo de "rationibus internis" et "externis" rerum intelligitur. Etiam relatio ad conceptum formae facile videtur.

quando est, non possit non esse. "Omnia enim, quae sunt, rationem habent unde potius sint quam non sint" (Josephus Hontheim, S. J., Theodicea in usum scholarum, Friburgi Brisgoviae, 1926, p. 31). Etiam Deus habet rationem sui sufficientem, et quidem in essentia sua, eo quod vi essentiae suae ad existendum est determinatus (et proinde non potest non existere). Omne ens existens et omnis determinatio entis, per quod ens est tale, habet rationem sui sufficientem. Idem valet de habitudinibus et proportionibus, quae in logica et mathematica considerantur. Hae proportionibus et relationes non habent aliquod esse in se subsistens immutabile, quod a rebus contingentibus eorumque relationibus diversum sit, neque sunt formae in se subsistentes — tales sententiae nihil aliud sunt nisi placita Platoniorum, quae iam dudum ab Aristotele et magnis philosophis Scholasticis refutata sunt —, sed sensus propositionum et relationum logicae et matheseos est: si (*quia*) illud est, tunc (*propterea*) hoc necessario est; si e. g. mens ratiocinans regulas syllogismi adhibet, recte argumentatur; vel si aliqua planities est triangulum, omnia theoremata trianguli de ea valent (1).

b) Formula igitur definitiva principii rationis sufficientis est; *positiva*: omne ens habet illud, per quod determinatum est ad hoc ut sit, et per quod non potest non esse; *negativa*: nihil est sine illo, per quod determinatum est ad hoc, ut sit.

4. *Principium rationis sufficientis est analyticum.*—Nam ex sola consideratione conceptus entis et analysi notarum, quae in conceptu entis contingentis continentur, reflexa claritate cognoscitur. Explicite ea evolvuntur, quae in conceptu entis et entis contingentis implicite insunt.

5. Principium rationis sufficientis secundum ea, quae dicta sunt, *implicite in principio contradictionis continentur*; non sane in principio identitatis, quod ut mera tautologia non habet valorem philosophicum, sed in genuino principio contradictionis, quod necessitatem essentialem omnis entis effert. Nullum omnino ens est possibile, quod non habet rationem sui sufficientem; id quod eodem modo intelligitur, quo principium contradictionis metaphysice necessario et ex consequenti absolute universaliter valere constat. Aliquod ens ab his duobus principiis excipi absolute repugnat. Quare absolute certum est, metaphysicam esse possibilem et quidem talem metaphysicam, qua cognoscatur,

(1) Cf. K. NINK S. J., *Die Wesenheiten der Dinge und ihre Erkenntnis*, in folio "Scholastik" 2 (1927) 557 s.

quaenam sint essentiae rerum, earum notae essentiales et relationes absolute necessariae. Hae notae essentiales et relationes necessariae rerum constituunt illud, quod est praecisive immateriale (et praecisive suprasensibile) in rebus. Nominatur praecisive immateriale, quia in eius cognitione a conditionibus individuantibus praescinditur, i. e. ab illis determinationibus mutabilibus, quae ex existentia rerum oriuntur. Ope rationum rerum praecisive immaterialium etiam entia pure immaterialia cognoscimus, sc. animam humanam, Deum, alia. Plura de his in metaphysica.

III. De principio causalitatis.

Secundum ea, quae in prioribus disputata sunt, principium causalitatis analyticum et metaphysice certum esse facile intelligitur.

Praenotandum: Conceptum causae abstractione ex experientia interna et externa acquirimus, eo quod aut nos ipsos certos effectus, e. g. actus nostros conscientes, producere experimur, aut res externas ut causas efficientes agere cognoscimus (1).

1. Quomodo principium causalitatis intelligitur.

a) Sunt de facto entia, quae existere incipiunt; porro sunt entia *contingentia*. Contingentia rei dicit: Aliquid existere et etiam non existere potest; non existit vi essentiae suae. Contingentia rei internam rei possibilitatem supponit, quae consistit in sociabilitate vel non repugnantia notarum rei, ex qua capacitas rei ad existendum oritur. Haec sociabilitas notarum requiritur, cum notae repugnantes aliquod ens unum constituere nequeant; et ob hanc rationem aliquod ens, cuius notae insociabiles sunt, impossibile est. Interna rerum possibilitas etiam entibus existentibus convenit; nam ipsa quoque existere possunt. Entia contingentia omnia, etiam quando existunt, contingentia sunt. Nam etiam quando existunt, non existunt vi essentiae suae, sed ad existentiam suam indifferentes sunt.

Sine causa existere idem est ac vi propria ad existentiam determinatum esse et proinde non posse non existere. Contingenter et tamen sine causa existere ergo idem est, ac non vi propria et tamen vi propria ad existentiam determinatum esse, quod repugnantiam involvit (2).

(1) Cf. e. g. FRICK, *Ontologia*, nn. 314-320.

(2) FRICK, *Ontologia*, n. 337, hanc contradictionem hoc modo effert: "*Breiter; Contingenter sine causa existere est idem ac contingentem et tamen vi et*

Ens ergo exsistere incipiens et omne omnino ens contingens non in se, sed in alio rationem sui sufficientem habet. Hoc autem aliud ens tantum influxu suo reali ratio entis incipientis et omnino entis contingentis esse potest. Si enim hoc aliud ens in ens contingens influxum realem non exerceret, non esset ratio entis contingentis. Atqui ens extrinsecum influxu suo reali determinans existentiam alterius entis, quod ex se est insufficiens ad existendum, est *causa efficiens*. Ergo quidquid exsistere incipit vel contingenter existit, efficientem sui causam requirit ad hoc, ut existat. Cum autem ens contingens, etiam quando existit, ex essentia sua sit indifferens ad existentiam, a causa efficiente etiam continuo in existentia sua conservari debet (1).

2. Principium causalitatis eodem modo ac principium contradictionis et rationis sufficientis est *analyticum*, et ex eadem ratione valet pro omni ente contingente, adeo ut exceptio ab eo vi conceptus entis contingentis excludatur. Porro ex principio contradictionis sola analysi conceptuum ope principii rationis sufficientis evolvitur. Etiam quoad originem supremorum principiorum valet illud, quod S. Thomas de principio contradictionis (et si loco citato alio in contextu) dicit: "ipsa enim" (sc. propositio enuntians principium contradictionis) "est naturaliter principium et dignitas omnium dignitatum" (In 4 Metaph. lect. 6) (2). Conceptus entis contingentis et causae quamvis a mente nostra ex rebus experientia nobis datis abstrahantur, tamen, si scimus, quid sit ens, quid ens contingens, quid causa, principium causalitatis ex ipsa analysi conceptuum a nobis intelligitur.

3. Principium contradictionis sequitur ex conceptu *entis*; principium vero causalitatis ducit ad conceptum *activitatis*, ita ut sit principium *activitatis*. Nihilominus non obstante hac indole apparenter diversa principium causalitatis ex principio contradictionis eruitur. Nam

perfectione propria, a se et *necessario* exsistere (affirmatio et negatio eiusdem)". Eodem modo mutatis mutandis analysis entis *incipientis* fieri potest. FRICK, I. c. n. 336, haec habet: "*Breviter*: Exsistere *incipiens* negat necessitatem, exsistere *sine causa* affirmat necessitatem; nam sine causa existens dicit existens ex propria sufficientia, a se, ideoque *necessario*. Ergo conceptus "sine causa exsistere incipiens" continet affirmationem et negationem eiusdem."

(1) Principium causalitatis eo intelligi, quod conceptus *effectus* et causae eorumque inter se relatio analysi subiciatur, saepe dictum est.—Omnem *effectum* causam sui efficientem requirere quamvis verum sit, tamen omne fieri idem esse ac *produci* vel *effici* tunc demum philosophice constat, si ratio philosophica assignata est, cur aliquid vi propria oriri vel fieri non possit.

(2) Φύσει γὰρ ἀρχὴ καὶ τῶν ἄλλων ἀξιωματῶν αὐτῇ πάντων (ARISTOTELES, 4 Metaph, c. 3, 1.005 b 33-34).

requiritur ens, quod influxu suo reali ens contingens ad existentiam determinat et in existentia conservat. Atqui ens quod realem influxum in aliud exercet, est *agens*. — Principium causalitatis respicit *actum*: 1) quidquid contingenter existit vel existere incipit, efficientem sui causam requirit; 2) “quae (enim) secundum se diversa sunt non conveniunt in aliquod unum nisi per aliquam causam adunantem ipsa” (S. Thomas. S. Theol. 1 q 3 a 7). Causa efficiens influere debet, ubicumque in ente contingente existente compositio metaphysica vel physica habetur. Quin etiam ubicumque aliqua limitatio perfectionum entis est, cuiuscumque generis sit, sive in ordine entium existentium sive possibilium, has perfectiones limitatas non esse a se, sed rationem sui in alio habere, statim ostendemus. Si perfectiones limitatae *existunt*, hoc aliud ens est earum causa.

4. Quibus omnibus perpensis tria principia breviter sic evolvi possunt:

a) Ens necessario est ens (et non potest esse non ens). “Hoc principium dependet ex intellectu *entis*” (S. Thomas, In 4 Metaph. lect. 6): principium contradictionis.

b) Ergo ens per aliquid determinatum est ad hoc, ut sit ens (et non possit esse non ens): principium rationis sufficientis. Si enim nihil esset, per quod ens necessario sit ens, ipsa necessitas, qua ens est ens, non haberetur. Ratio illud est, per quod aliquid determinatum est, ut sit, et per quod sub eo respectu, sub quo est, non potest non esse.

c) Ens contingenter existens, quando existit, necessario existit (et non potest non existere): principium contradictionis applicatum ad ens contingens.

Ergo etiam ens contingenter existens per aliquid determinatum est ad hoc ut quando existit, non possit non existere: *principium rationis sufficientis applicatum ad ens contingens*.

Atqui in ipso ente contingenter existente non est illud, per quod, quando existit, *necessario* existit. Nam ens contingenter existens, etiam quando existit, ex essentia sua est indifferens ad existendum. Ergo in alio ente debet esse illud, per quod ens contingens determinatur ad hoc, ut quando existit, non possit non existere. Hoc aliud ens est causa entis contingentis: principium causalitatis.

Nota: Principia contradictionis et rationis sufficientis dependent

ex intellectu entis, principium causalitatis ex intellectu entis contingentis.

5. *Corollaria*.—Ex principio causalitatis varia axiomata, quae communiter in philosophia scholastica enumerantur, consequuntur: “Omnis effectus in causa sua adaequata aliquo modo continetur”. “Propter quod unumquodque tale et illud magis”; vel: “Nullus effectus adaequatus sua causa potest esse perfectior”. “Omnis effectus non causam quamcumque, sed sufficientem et proportionatam requirit”. “Modus operandi (causandi) sequitur modum essendi (causae)”; seu: “Agere sequitur esse”.

Pariter propositio sancti Thomae modo citata: “Quae enim secundum se diversa sunt, non conveniunt in aliquod unum nisi per aliquam causam adunantem ipsa”, ex principiis supremis *consequitur*. Porro *consequuntur* ex principiis analysi subiectis omnes sententiae, quibus argumentum pro existentia Dei ex gradibus perfectionum entis (argumentum climacologicum) procedit. Imprimis SS. Augustinus, Anselmus, Thomas de Aqu. egregios textus habent huc spectantes, qui omnes nihil aliud sunt, nisi corollarium principii rationis sufficientis recte intellecti. Nonnullos eorum textus iuvat hic affere: “Quid plura et plura (sc. bona)? Bonum hoc et bonum illud; tolle hoc et illud et vide ipse bonum (si potest), ita Deum videbis non alio bono bonum sed bonum omnis boni. Neque enim in his omnibus bonis... diceremus aliud alio melius, cum vere iudicamus, nisi esset nobis impressa notio ipsius boni, secundum quod et probaremus aliquid et alii praeponeremus. Sic amandus est Deus non hoc et illud bonum, sed ipsum bonum... cum itaque audis bonum hoc et bonum illud (quae possunt alias dici etiam non bona), si potueris sine illis, quae participatione boni bona sunt, perspicere ipsum bonum, cuius participatione bona sunt (simul enim et ipsum intelligis, cum audis hoc aut illud bonum) — si ergo potueris illis detractis per se ipsum perspicere bonum, perspexeris Deum”. S. Augustinus, De Trin. l. 8, c. 3; Migne P. L., 42, 849 s.) “Si quis intendat rerum naturas, velit nolit sentit non eas omnes contineri una dignitatis paritate, sed quasdam earum distingui graduum imparitate. Qui enim dubitat, quod in natura sua ligno melior sit equus et equo praestantior homo, is profecto non est dicendus homo. Cum igitur naturarum aliae aliis negari non possint meliores, nihilominus persuadet ratio aliquam in eis sic supereminere, ut non habeat se superiorem. Si enim huiusmodi graduum distinctio sic est infinita, ut

nullus sit ibi gradus superior, quo superior alius non inveniatur, ad hoc ratio deducitur, ut ipsarum multitudo naturarum nullo fine claudatur. Hoc nemo non putat absurdum, nisi qui nimis est absurdus. Est igitur ex necessitate aliqua natura, quae sic est alicui vel aliquibus superior, ut nulla sit, cui ordinetur inferior" (S. Anselmus, De divinitatis essentia monologium c. 4, Migne P. L., 158, 148 s.) "Invenitur in rebus aliquid magis et minus bonum et verum et nobile et sic de aliis huiusmodi. Sed magis et minus dicuntur de diversis, secundum quod appropinquant diversimode ad aliquid, quod maxime est... Est igitur aliquid, quod est verissimum et optimum et nobilissimum et per consequens maxime ens" (S. Thomas, S. Theol. 1 q 2 a 3).

Eiusmodi textus SS. Patrum et philosophorum Scholasticorum facile augeri possent; aliquos vide collectos apud Hontheim, Institutiones Theodicaeae, Friburgi Brisgoviae, 1893, p. 139-143.

Ratio probans omnium horum textuum est haec: gradus limitatus entis in se non potest esse alius gradus. Nam illum esse hunc gradum neque alium esse posse metaphysice certo scimus. Ens limitatum autem ex se (ex essentia sua) ad hunc vel illum gradum indifferens est. Nam ens limitatum ex essentia sua, etiam quando hunc gradum perfectionis habet, alium habere posset. Ex ente limitato ergo ipso non est, quod hic gradus limitatus alius esse non possit. Omne igitur ens quocumque modo limitatum non est a se.

Ens autem, quod vi essentiae suae ad existentiam determinatum est, vi essentiae suae non enti simpliciter opponitur, non solum sub certo quodam respectu. Aliis verbis: ens, quod vi essentiae suae existit, non enti absolute et sub omni respectu opponitur; ergo nulla ratione limitatum esse potest, sed absolute necessario sub omni respectu infinitum est. Ob hanc rationem intelligitur illud S. Thomae: "Quod alicui convenit ex sua natura et non ex aliqua causa, minoratum in eo et deficiens esse non potest" (C. gent. l. 2, c. 15).

In iis, quae modo exposita sunt, ratio probans habetur, qua ex gradibus perfectionum, quae in rebus inveniuntur, Dei existentia et infinitas demonstratur. Hinc etiam ad principium henologicum, quod in argumentis pro existentia Dei occurrit, pervenitur (1).

(1) Cf. de hoc principio: HONTHEIM, *Institutiones Theodic.* nn. 235-237, 521-541; et HONTHEIM, *Theodicea in usum scholarum*, Friburgi Brisgoviae 1296, p. 83-93, 148-163; porro AUGUSTIN. DENEFFE S. J. *Das henologische Prinzip*, in folio: "Stimmen aus Maria-Laach" 83 (1912) 423 ss.

6. *Principia exposita quid conferant ad solvendam quaestionem de valore obiectivo cognitionis nostrae eiusque amplitudine.*—Principia exposita in se ordinis idealis sunt. Ex illis solis obiectum aliquod existens reale cognosci nequit (1). Res existentes primo experientia cognoscuntur; item conceptus nostri universales primitivi eo formantur, quod mens humana in obiectis experientia perceptis abstrahit ab individualitate eorumque essentias repraesentat. Verumtamen dummodo unum tantum obiectum ex experientia certo cognitum sit, intellectus noster illud obiectum ut ens contingens apprehendens ope principiorum expositorum cognoscit, quod ab aliqua causa ad existendum determinetur, qualis sit illa causa, e. i. p. Breviter: cognitio unius rei contingentis sufficit, ut ex ea existentia Dei demonstretur et cognoscatur, tum quatenam sint attributa Dei, tum quod omnia, quae praeter Deum existunt, a Deo creata sint et positiva et directa Dei conservatione indigeant, ut esse pergant. Quae omnes cognitiones acquiruntur ope experientiae et intellectus speculativi, qui quidem incipit ab experientia, sed quidditates rerum cognoscens intelligit, quae relationes in essentiis rerum fundentur. Principalis vero relatio entis contingentis est eius omnimoda dependentia ab ente absolute necessario.

GASPAR NINK

Sankt Georgen, Frankfurt a. Main.

(1) Cf. JOS. KLEUTGEN S. J., *Philosophie der Vorzeit* editio 2, Innsbruck 1871, p. 483.